



Handwritten text on the spine of the book, including the number '52'.

52



102

I. N. J.

15
**ESCHATOLOGIAM
MOSAICO-THEOLOGICAM,**

Ex Deut. VI. 4.

In Illustri Leucorea

Venerandi Collegii Theologici indultu

PRÆSIDE

VIRO SUMME REVERENDO, MAGNIFICO,

AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. JOAN. Deutschmann/

Doctore Theologo longè Celeber-

rimo & Professore Publico, Alumnorum Elect.

Ephoro Gravissimo,

DNO. PATRONO, Mæcenate studiorum suorum Pro-

motore, ac Præceptore jugi observantia cultu ad

cineres usq; de venerando, colendo.

ex Cathedra Lutheri

defendet

M. JOHANNES Dünnehaupt / Quedlimb.

P.L.C.SS.Theol.Stud.& Alumn.Electoralis.

Die 6. Julii Anno 1686.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat JOHANNES WILCKIUS.

ESCHATA TOLOGIAM
MOSAICOTRICKOLOGIAM

IN HUIUS LINGUA
Venerabilis Coloniensis Theologiae

PROFUMME REVERENDO MAGNIFICO
MAGISTRO

DN. JOHANN. BUCHHEIM
Doctore Theologo longo Coluber-

BIORNTONC MAGISTRO
Magister

M. JOHANNES BUCHHEIM
Magister

Impressit Johannes Wiericus



✠(o)✠

IN NOMINE JESU!

ESCHATOLOGIA

COMPENDII MOSAICI,

Hoc est:
Doctrina de Novissimis

EX DEVT. VI. 4.

I. **E**ξατα verè dicuntur μέγιστα, κρείτιστα, βέλιστα, vel ἀεστα, *Novissima sunt Maxima, sunt valida, sunt optima: Maxima sunt ratione sui, propter amplissimam magnitudinem, & maximam amplitudinem, dum totum Macrocosmum, & universum Microcosmum concernunt, & sub ambitu suo comprehendunt, atq; finem rebo omnibus novissimum imponunt: Valida sunt, ratione Dei, quia divina virtute pollent, divino robore valent, divino valore fulgent, divino fulgore turgent. Penetrant, dum appropinquant, nec ullam remoram tolerant. Dum sonant, tonant, dum tonant, fulminant, dum fulminant, consummant. Optima deniq; sunt ratione nostri, dum nobis hominibus usus varios, eosq; non alios, quam optimos ex instituto DEI conciliant. Memorare novissimorum, inquit Sincides c. VII. 40. Sin aeternum non peccabis. Peccatorum fuga bonorum seqvela, sicut è contra Bonorum fuga peccatorum seqvela. Sed nostri propositi non est, de Novissimis in genere verba facere, verum potius in Compendio Mosaico Novissima producere, & juxta fidem Mosis, & eorum, qui temporibus illis vixerunt, & veram fidem habuerunt, ex Pentateucho deducere.*

2. Quod igitur attinet doctrinam de Novissimis, illa quidem specialius in Oraculo nostro verbis explicitis non traditur, implicitè tamen, tum in doctrina de Deo, tum in doctrina de Christo, consequenter exhibetur. Quod enim ex articulo de Deo doctrina de Novissimis demonstratur, probatur (1) ex macrocosmi productione, quia Deus, juxta creationis Historiam, totum macrocosmum produxit, & illi statim futuram aliquando consummationem induxit, cum de rebus communibus valeat regula Philosophorum:

A

Quic.

COMPENDII MOSAICI

Quicquid habet initium, illud etiam habet finem. (2) *ex temporis conditione, quia Deus prima temporum intervalla condidit, Ergo quoque novissima respexit, & sic revera novissima tempora concedenda veniunt.* (3) *ex Microcosmi collatione, quia Gen. VI. 13. Deus Noacho dixit de Microcosmo non modo, sed etiam de reliquis animantibus: Finis universae carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Si de Microcosmo statutum id est, illud etiam de Macrocosmo collegerunt, dum optime noverunt, Macrocosmum propter Microcosmum fuisse productum; sic valet hic illud, Accessorium sequitur suum principale, nec Minister major est Domino Matth. X. 24.* (4) *ex saepius iterata Novissimorum mentione: Nos modo Tres potissimum testes producemus. Nam & Jacob Patriarcha de venturis in diebus novissimis in vaticinio suo Testamento prophetavit Gen. XLIX. 1. Congregamini, ut annunciem, quae ventura sunt vobis in diebus novissimis. Bileam Num. XXIII. 10. quoque Novissimorum facit memoriam, iisque delectatur in spiritu dicens: Moriatur anima mea morte justorum, & fiant NOVISSIMA MEA horum similia. Moses ipse denique Deut. XXXII. 22. inferni novissima producit, & v. 29. de malis, & impoenitentibus Israelitis optat: Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima sua providerent!*

3. *Quod etiam ex Articulo de Messia fideles cognoverint doctrinam de Novissimis, illud itidem apertum (1) ex Elobeni appellatione, quia Messias noster est, non tantum respectu reliquorum, sed etiam respectu Novissimorum temporum.* (2) *ex indefinita introductione, quia noster est Deus indefinite, nim. omnibus hominibus, vel in principio, vel medio, vel termino mundi viventibus, omnibus temporibus, omnibus locis, omnibus in objectis, & casibus &c.* (3) *ex perspicua traditione, quod enim inter Patriarchas tum antediluvianos, tum postdiluvianos, doctrina de novissimis notissima fuerit, & usitatissima, vel familiarissima, hoc brevitate ergo pariter duobus testibus confirmatum dabimus, alterum producendo ex historia Patriarcharum antediluvianorum, quia prophetavit & de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, &*
argue-

ESCHATOLOGIA.

arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impii Epist. Jud. v. 14. alterum ex præcipuis Patriarchis Postdiluvianis, nim. Abraham, qui Filium Dei, visibili forma coram se stantem, vocat *judicem universæ terre*, ein Richter aller Welt. (4) ex typi collatione. Quod enim excidium Sodomorum, & reliquarum civitatum, fuerit *typus mundanæ* per ignem *πρωτογενης*, illud vulgo notum. Jam ad hoc judicium visibiliter *Messias* venit Gen. XIX. 2. de cælo descendit v. 21. & horrendum supplicium cælitus gravissimis peccatoribus immisit c. XIX. 24. Idem etiam in *Novissimo* die faciet, visibili forma, tanquam *judex*, de cælo descendet, & omnem terram judicabit.

4. Licet autem de *Numero Novissimorum* inter *Autores* non constet, nulla tamen inter *Orthodoxos*, & plerosq; pariter *heterodoxos*, realis, quoad *Numerum* hunc, est discrepantia Nos modo *Denarium*, adeoq; rotundum numerum, quem in *Theol. positivo-polem. tract. ult. disp. I. th. 10.* notavimus, docendi causa retinebimus, & agemus in *Compendio hoc Mosaico* (1) *de Morte Corporis*, (2) *de Luctu, & sepultura Mortuorum*. (3) *de Immortalitate Anima*. (4) *de de Statu animarum post Mortem*. (5) *de Adventu Christi ad judicium*. (6) *De Resurrectione Mortuorum*. (7) *De Extremo judicio*. (8) *De Consummatione seculi*. (9) *De Inferno*. (10) *De Vita æterna*. De his ordine nunc agemus.

5. Quod attinet *ὁμοιοτύπια* horum *Novissimorum*, ea satis est accurata, quia nim. alia *Novissima* respiciunt *Homines singulos*, alia *Universos*. *Novissima*, quæ *singulos* homines concernunt *successiva* sunt, & ab initio mundi suum locum invenerunt. Horum alia respiciunt *Hominis corpus*, nim. (1) *Mors corporis*, (2) *Luctus, & Sepultura Defunctorum*: alia vero respiciunt *Animam*, nim. (1) *Animarum Immortalitas*, (2) *Animarum Status post Mortem*. *Novissima*, quæ conjunctim *Universos* concernunt, & *simultanea* sunt, respectu *Novissimi diei*, non inconvenienter secundum *Causas* distribuuntur. Sic (1) *Causam Efficientem* respicit *Adventus Christi judicis*. (2) *Causam Materialem* *Resurrectio mortuorum*. (3) *Causam formalem*, *Ipsum Judicium Extremum*. (4) *Causam finalem*



COMPENDII MOSAICI

nalem attendit, tum ratione *Macrocosmi*, doctrina de *Consummatione seculi*: tum ratione *Microcosmi*, quoad *impios*, & *reprobos*, doctrina de *Inferno* quoad *pios* & *electos*, doctrina de *Vita aeterna*.

6. Quod nunc in specie concernit *Doctrinam de Morte corporis*, illa tum temporis notissima fuit, sicut hoc de mundi seculis universis non potest negari. Cognoverunt autem *Israelitae mortem* (1) *Ratione Cause Efficientis*, & quidem tum *intendens* & *inferens*, qui dicitur ipse *Diabolus*, cujus ex *invidia Sap. II. 23. malitia, & fallacia*, homo persuasus atq; seductus, ut peccaret; & per peccatum sibi *pœnam mortis* conciliaret *Gen. III. 4. 5. 6.* hinc *Christus* eum vocat *homicidam ab initio Job. IIX. 44.* Tum *acquirentis*, & *recipientis*, quia *primus homo* per *legis transgressionem*, & *turpissimam à Deo defectionem*, ac *detestabilem cum Satana consensionem*, sibi *mortem* acquisivit, eandemq; cum *omni posteritate* pro dolor! intimè recepit, *Rom. V. 12.* Tum *promerentis*, quia *mors est peccati stipendium Rom. VI. 23.* vel *concupientis*, aut *foventis*, sicut *Paulus* inquit *Rom. IIX. 10. τὸ μὲν σῶμα ἵσμεν ὅτι ἐστὶν ἄμωρτον, corpus (hominis) mortuum est*, h. e. *morti* subjectum, vel *obnoxium* est, non propter *naturam*, sed propter *culpam*, non propter *corporis ἁσῖαν*, sed propter *contractam ἀνομίαν*, non *ratione sui*, sed *vitii &c.* vel *parientis*, quia *peccatum paruit mortem Jacob. I. 15.* Tum *decernentis*, quia *Deus* homini peccatori, *Statuto* prorsus *irrevocabili*, *mortem* decrevit *Gen. II. 17. Quocumq; die comederis ex arbore scientia boni & mali, morte morieris*: vel per *judicium infligentis*, aut per *judicialem sententiam imponentis* c. III. 19. *Pulvis es*, & (propter peccatum *imagine DEI* spoliatus, ex *severitate justitiæ vindicatrici*) *in pulverem revertaris*: vel *actu pœnam mortis exequentis*, sicut *Moses* in oratione sua *Pf. XC. 3.* canit: *Convertis hominem in contritionem, & dicis, revertimini filii hominum*, *Luth. der du die Menschen lässt sterben &c. v. 7. Deficimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.* Hinc *Gen. V.* integer *catalogus Patriarcharum*, *mortis debitum* exsolventium, ordine recensetur. In deserto sæpius *multa millia* *murmurantium*, per *iram justam Dei*, defecerunt, & conciderunt.

runt.

ESCHATOLOGIA.

runt. Breviter inquit *August. lib. 1. cont. Julian. c. 7. Mortem Deus intulit, non ut primus Autor, sed ut ultor.*

7. (2) Ratione cause materialis, cum materia ex qua non datur, dum mors est privatio, propterea notanda potissimum materia in qua, vel subjectum, & hoc dicitur vel ut quod, nimirum totus homo, tum quia toti homini comminatio mortis facta *Gen. II. 17. tum quia toti homini, cum maledictione, reatus mortis impositus c. III. 19. tum quia totus homo peccavit c. III. 1. seqq. tum quia toti homines mortui perhibentur Gen. V. 5. seqq. tum quia toti homines, & in diluvio, & in aliis plagis, mortui dicuntur.* Vel ut quo, sic non totum hominis dicitur esse mortis subjectum, quia spiritus hominis, vel anima non est mortalis, sed immortalis: sed Corpus hominis solum est proprium, & immediatum Mortis subjectum: tum quia solum corpus ex pulvere terra formatum *Gen. II. 7. tum quia solum corpus pulvis, aut pulverulentum quid est, adeoque solum etiam corpus in pulverem reverti potest: tum quia, quoad solum corpus, sumus pulvis, & cinis c. XIX. 27. Et Materia circa quam, vel objectum, quod est omnis homo, non quia creatus, sic enim, dum ad imaginem Dei formatus, mori non debuit, quoniam ad incorruptibilitatem conditus *Sap. II. 23. non quia regeneratus, quia sic ex DEO nascitur I. Joh. III. 9. ex Spiritu renascitur Job. III. 6. ex incorruptibili verbi semine regignitur I. Pet. I. 23. neque quatenus glorificatus, sic ad incorruptibilem, & gloriosam vitam resurget I. Cor. XV. sed potius quatenus per venenum peccati corruptus, & mortis Candidatus effectus est, Rom. V. 12. tum quia peccatoribus omnibus pena mortis est praedicta, Gen. II. 17. tum quia primus homo non pro se tantum, sed etiam pro tota sua posteritate, mortis reatum, & supplicium, mediante mortis hamo, peccato, contraxit vid. *Gen. III. 3. 4. 5. tum quia mortalis homo non potest, non gignere mortales: tum quia DEUS justus judex non tantum nostris protoplastis, sed etiam omnibus ipsorum haeredibus, mortis penam dictavit. Nam a mortis regula nulla prorsus in Adamo fuit exceptio (1) quia omnes sunt Adami Filii. (2) quia sunt ad imaginem non DEI, hoc est immortalem, sed***

COMPENDII MOSAICI

sed ad imaginem *Adami*, h.e. *mortalem*, geniti, *Gen. V. 3.* (3) *quia* cuncti homines in diluvio, præter *Noam*, & familiam ejus, morte perierunt. (4) *Quia* nunc post lapsum *mors* est *omnium* subjectorum, *omnium* locorum, *omnium* temporum &c: (5) *quia* *mors* verè dicitur *universa carnis* *Jos. XXIII. 14.* *I. Reg. II. 1.* *Heb. וְכָל הָאָרֶץ* *universa terra*, vel *terrestrium*, & *mortalium* hominum. (6) *Quia* *mors* in omnes homines pertransit *Rom. V. 12.* (7) *quia* per *Adamum* *mors* *I. Cor. XV. 21.* & omnes in *Adamo* moriuntur, v. 22. (8) *quia* juxta *Sirac. XIV. 18.* *perpetuum* hoc *fedus* est *mortis*, quod *mori* eris, græc. ἡ ἀθανάτη, ἢ ἀπ' αἰῶνος, ἡ θανάτου ἀποθανῆ, *Luth. Es ist der alte Bund / du* (*quisquis* etiam fueris,) *must sterben.*

8. (3) *Ratione cause formalis*, quo pacto consistit *ratio mortis* (1) non in *totali quidditatis annihilatione*, cum plenaria annihilatione non sit *privatio*, sed potius *absoluta negatio*: jam verò *ratio mortis* in *privatione*, non in *annihilatione* consistit. (2) non in *partium essentialium abolitione*: licet enim *respectiva relatio*, vel *partialis ratio*, tum *animæ*, tum *corporis* cesset, attamen *partes materialiter* non abolentur, sicut de *corpore* dicitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris* *Gen. III. 19.* de *parte utraq;* *Eccl. XII. 7.* *Pulvis revertitur in terram, unde erat, & Spiritus redit ad DEUM, qui dedit illum*: Ergo neq; respectu *corporis*, neq; respectu *animæ*, hominis *essentia* dicitur abolita. (3) Nec in *actuum animæ suspensione*, quasi tantum *actuum animæ* fiat *suppressio*, vel *suspensio*, qualis in nonnullis morbis contingere solet. (4) Sed in *animæ à corpore totali separatione*, vel *dissolutione*, quæ dicitur alias *ἀνάλυσις*, sicut *Paulus* inquit *Phil. I. 23.* *Cupio ἀναλύσασθαι, dissolvi, & esse cum Christo*, sicut alibi *tempus mortis* *tempus ἀναλύσεως* vocat: vel *ἀπόλυσις* *dimissio*, sicut *Simeon* inquit *Luc. II. 29.* qualis est eorum, qui *libertate* donantur, & è *carcere*, seu *vinculis* liberantur, *Matt. XIX. 27.* *XXVII. 25.* *Act. III. 13.* cum nostrum *corpus peccaminosum* sit *mysticus animæ carcer*, vereq; dicatur *corpus Mortis* *Rom. VII. 15.* ex quo per *Mortem* *animæ* libere dimittitur; vel

ESCHATOLOGIA.

vel κατάλυσις, dissolutio, destructio, depositio, abolitio, sicut Paulus II. Cor. V. 1. mortem suam vocat κατάλυσιν οικήσεως τῆς σαρκός, h. e. destructionem, dissolutionem, depositionem domicilii hujus tabernaculi, quod etiam ex natura saniores gentiles hauserunt, sicut Cicer. scribit in Catone Maj. Ex hac vita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim naturam diversorium nobis, non habitandi locum dedit. Ad quæ verba posteriora non ita pridem Epicedium in funus Quæstoris Provincialis Dn. Hahnij sequentibus meditatus sum.

Natura prudens optime mortalibus
 Hic non habitandi domum fixam dedit,
 Brevis simi sed commorandi temporis
 Modo destinavit in Orbe Diversorium.
 Nam Vita nostra semper est ergastulum
 Mali, Necis, omnis doloris vinculum.
 Hinc transeamus ergo letioribus
 Et gressibus, & cordibus. Mundus nihil,
 Quod ad manendum nos moveret, possidet.
 Hic in maligno totus est reconditus,
 Mundus malum, durumq; contubernium,
 Mundus vorax, feroxq; Condictorium
 Fidum minus, tutum nec habitaculum
 Transire, quam manere, longe tutius!
 Proinde Tu recte facis, Vir Optime,
 Dum sequeris instituta nature bene.
 Mundus Tibi sic curta peregrinatio,
 Cito pedis transire saltu dum cupis:
 Hic fixa non desideras habitacula,
 Cælum Domicilium Tibi tutissimum.
 In hoc reponas fixa Tibi conclavia,
 Deumq; semper intuens per secula,

Hymnos

COMPENDII MOSAICI

*Hymnos canas, Deoq; gratitudinis
Nunc hostias per omne tempus offeras.
Hic Optimus Curator erit Conjugis
Mestissime, nec liberorum non Pater:
Clademq; tantam leniet solatio
Potente, quo sanantur atra vulnera.
Nunc vive, Coeli Candidate, jugiter
Deo fruaris & omnibus poli bonis:
Felixq; praestolare sic in Patria,
Nos Exules Hujusce Diversorii.*

Taliter etiam Patriarchae cum Israelitis mortem cognoverunt; sic ut eorum Vita verum, & merum ex paradiso, sed triste satis exiliū Gen. III. 24. fuit, quē admodū ex Abrahami, Isaaci, & Jacobi, notatu dignissimis, exemplis liquet, qui totam suam vitam non in fixis sedibus, & domibus, sed in vagis tabernaculis, & tentoriis consumserunt, sicut Jacob coram Pharaone Gen XLVII. 9. restatur: *Dies PEREGRINATIONIS vita mea, centum, triginta annorum sunt, pauci & mali, & non pervenerunt usq; ad dies Patrum meorum, quibus PEREGRINATI sunt.* Sic etiam κατάλυσι ex corporis mortalis, tanquam ex miseri Exilii tabernaculo perpetuis desideriis exoptarunt: ἀνάλυσι in Henocho, Gen. V. ἀπόλυσι in Jacobo c. XLIX. 18. per Spiritus illuminationem conspexerunt. Similia passim in Jobo notare licet. Ipsi Philosophi quoq; ἀλάυσι mortem appellant, sicut ab Aristotele mors definitur, θάνατος ἔστι ἀλάυσις τῆς ψυχῆς, καὶ τῆς σώματος, hoc est, dissolutio, anima & corporis. Hac nihil infert, quam, physicam naturae destructionem, quia si tollitur forma à materia, tunc destruitur natura, juxta tritum illud Philosophorum: *Sublata una parte essentiali, tollitur, vel destruitur totum.*

9. Ratione Cause finalis, sic finis Mortis, vel absolute consideratur, quando dicitur pena peccati, quia τὰ ἐψώνια τῆς ἀμαρτίας, θάνατος Rom. VI. 23. quod patet tum ex judiciali
con-

ESCHATOLOGIA.

constitutione Gen. II. 17. tum ex *judicialis sententia publicatione* c. III. 19. tum ex *sententia publicata, executione*, Gen. V. 5. seq. Vel *relatè* tum respectu *DEI* (1) *Ut sit divina veracitatis testimonium*, quia *mors* testatur, *DEUM* esse *veracem* non tantum in promissis, sed in *minis* etiam, Gen. II. 17. (2) *ut sit justitia divina speculum*, quod *peccata* neququam propter justitiam impunita, *DEUS* dimittere possit. (3) *Ut sit misericordia symbolum*, ne vid. homo peccator in *miseria sua* vivat in *eternum* Gen. III. 22. ideò per *mortem*, ceu *veræ vitæ januam*, ad *eternam pacem*, & *felicitem* cum *Simeone* dimittitur *Luc. II. 19.* Sicut & *Jacob* dicit Gen. XLIX. 18. *Expecto, Domine, salutare tuum.* Tum respectu *Messia*, vel *Christi*, sicut *Paulus* inquit *Phil. I. 23. Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, cum quo *desiderium Jacobæum*, jam laudatum, ex *asse* consentit. Tum respectu *nostri*, nim. (1) *ut per mortem* ex *molesta*, duraq; mundi *peregrinatione* veniamus ad *Patres nostros*, sicut hoc primum de *Abrahamo*, *Patre credentium*, legitur Gen. XV. 15. & postea sæpius repetitur. (2) *Uo per mortem* ex *tristissimo hujus vitæ exilio* congregemur ad *populum nostrum*, sicut eadem *phrasis* legitur de *Abrahamo* Gen. XXV. 8. de *Isaaco* c. XXXV. 9. & de *Jacobo* Gen. XLIX. 32. de *Aarone* Num. XX. 24. & *Mose* c. XXVII. 13. quæ *phrasis* multa notatu dignissima piis meditationibus offert. (3) *Ut ex continua militia mundi præsentis* Job. VII. 1. perveniant *fideles* per *mortem* ad *pacem* Gen. XV. 15. sicut etiam *Simeon* *latabundus* exclamat: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum IN PACE* *Luc. II. 29.* (4) *ut ex hujus mundi deserto* per *mortem*, transeamus in *terram promissam*, in *caelestem Canaan*, quod in *Israelitico populo* cunctis *fidelibus* est præfiguratum &c:

10. A *Morte* digredimur ad *Luctum*, & *sepulturam* mortuorum. Et quod attinet *Mortuorum Luctum*, ille cum rerum primordiis cæpit, & primi statim *demortui luctu* debito honorati sunt. Non enim sine *causa* tam diligenter, tam frequenter, tam efficaciter, & *salutariter* Gen. V. 5. seqq., in singulorum *Patriarcharum analysi* beata, suum *ET MORTUUS EST, Spiritus Sanctus* inculcavit, sed ut esset respectu *beatè defunctorum*

B

com-



COMPENDII MOSAICI

commune quoddam *Epitaphium*, sepulchris ipsorum inscribendum, cum sit *communis*, & *notabilis Inscriptio*. Nam si mortuus homo non esset, nec in sepulchro jaceret, nec sepulchrum proprium haberet, nec *Inscriptione* tali mortuorum indigeret. Hoc, *Et mortuus est*, fuit *commune lugentium Epicedium*, quo se medio sub *luctu* vivo *solatio* confidenter erexerunt, quod hic, vel ille mortuus sit, (a) *Ob naturæ communitatem*, quia communem cum aliis mortalibus naturam habuit, & sic *commune mortuorum consortium*, vel *contubernium* adire debuit, atque sic in *Matriculam Defunctorum* receptus fuit, quod indicat *particula Copulativa*, *Et*: ita *solamen miseris socios habuisse malorum*; & ad ea mala ferendo promptiores, & fortiores sumus, quæ *natura communis* nobis imposuit: (b) *ob moriendi necessitatem*; nam quia *statutum* est statim in paradiso, *semel mori*, *Gen. II. 17.* sicut *Paulus Heb. IX. 27.* videtur eo respicere, propterea *moriendi necessitas* cunctis imposita, & sic, quod *mortuus* necessario facere debuit, jure fecit: sic etiam *patienter ferendum*, quod *mutari nequit*: Huc respicit *et Mortuus*: nam quia *mortalis* fuit, juxta *legem DEI*, *sedusq; mortis Sir. XIV. 18.* *mori* debuit. (c) *Ob mortis qualitatem*, quia *lex* ejus *irrevocabilis*, sicut *David* indicat de *puerulo suo mortuo II. Sam. XII. 23.* *Quia mortuus est (infans) quare jejuno? numquid poterò revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non revertetur ad me.* Cum igitur facta fieri non possint infecta, *mortui* sunt apud *mortuos* relinqvendi, nec ultra *pietatis*, & *honestatis* debitum *lugendi*, quod *præteritum Mortuus EST* intimat, cum primis quia *mors* *piorum* est *felix malorum omnium clausula*, & *exoptata vite*, *letitiæ*, *gloriæq; celestis janua*. Deniq; hoc, *Et mortuus est*, fuit *universale parentationum*, vel *compendium*, vel *artificium*.

II. Quod igitur attinet *Luctum genuinum mortuorum*, ille citra dubium à *posteriori DEum*, vel *autorem*, vel *approbatorem* habet, dum *primam Concionem Funebrem* toti generi *humano* præliminariter habuit, & sic *dolorem* aliquem suum, vel *luctum* aperuit, *Gen. III. 19.* *Pulvis es, & in pulverem revertaris.*

ESCHATOLOGIA.

teris. Nuspiam etiam *pium, & moderatum luctum* Patriarcharum improbat Gen. XXIII. c. XLIX. & L. Imò potius approbat Num. XX. 30. dum omnis multitudo per *triginta dies* super Aaronis morte per *cunctas familias suas*, quibus *diebus, luctus* hujus universalis, *columna nubis* se non movit, nec suo motu *Israelitarum castra* commovit. Conf. Deut. XXXIV. 8. ubi pariter *Filii Israel*, in *campestribus Moab*, mortem *Mosis* fleverunt *triginta diebus*, & *completi sunt dies planctus lugentium* Mosen. Nec desunt *causa intermedia* nim. ipsa *Lex divina*, quæ modum *lugendi* non semel præscripsit Levit. XIX. 28. Deut. XIV. 1. &c: *Lex natura*, quæ *mortuos lugendos esse*, palam instinctu suo docet: *Jus gentium*, quia si non apud *omnes gentes*, tamen apud *plerasq;*, cum primis apud *cultiores*, *lugendi consuetudo* fuit in usu, sicut prolixè demonstrari posset: *Leges civiles, & Ecclesiastica*, pariter *certum tempus, modumq;* *lugendi certum*, non raro præscriperunt. Quoad *causam materialem* apud *Patriarchas* fuit *luctus, & internus, & externus* Gen. XXIII. XLIX. L. quoad *analogicam constitutionem*: quoad *subjectivam inbætionem luctus* potissimum notatur in *Viris magnis*, in primis *necessariis*, *Abrahamo* Gen. XXIII. *Isaaco, & Ismaele* c. XXV. 9. *Josepho* c. L. 1. 4. & propter *Viros magnos* in *integris catibus, & populis* Gen. L. 10. 11. Num. XX. 30. Deut. XXXIV. 8. Quoad *objectivam occupationem tantum* propter *homines, & cum primis bene meritos*, non autem propter *brutorum mortem luctum* susceperunt. Vid Theol. positivo pol. de Noviss. disp. 3. thes. 2. sicut nonnulli *Gentilium* fecerunt. Quoad *media, modumq;*, talia facile colliguntur ex illis allegatis locis. Nam quoad *media luctus* adhibuerunt (1) *lacrymas*. (2) *lugubres voces*. (3) *lugubres gestus*. (4) *lugubres vestes* &c: non autem *confuris, incisiones, abscissiones, & alias Gentilium consuetudines* approbarunt, de quibus legatur *Cornel. à Lap. Levit. XIX.* & alii passim: De *luctu Hebræorum* B. Dn. D. Geier. & alii, multa con-gesserunt. *Modus lugendi* fuit *gravis, non levis, moderatus, non immoderatus*. Vid. Theol. posit. d. l. th 3. seqq. Deniq; *causa finalis* non fuit illis incognita: non autem *luxerunt mortuos*

COMPENDII MOSAICI

(1) *propter superstitionem*, quasi superstitie se quaedam mortuis tribuere voluerint. (2) *neq; propter religionem*, quasi religionis quid illis obtulerint. (3) *Neq; propter utilitatis rationem*, quasi luctu suo mortuis prodesse voluerint. &c: sed potius (1) *propter amoris sui erga mortuos contestationem*. (2) *propter peccatorum recordationem*, quæ sunt in causa, quod homines, etiam conjunctissimi, morte perire necessum habeant. (3) *propter miseria humana deplorationem*. (4) *propter pietatis, & honestatis rationem*. Vid. *Theol. posit. d. l. lib. 6.* Et hic luctus etiam ex *Elobenu* colligitur, cum omnino *lugendum* sit, quod tanta *mortis* sit *injuria*, tanta *ferocia*, ut etiam in *medio populi DEI* *furrorem* suum exerceat, ipsa *membra mystica Elobenu* ladat, & occidat, sicut *Christus* ipse *Iob. XI. 35. lacrymas amoris, doloris, & indignationis contra mortem, & Diabolum ob mortuum Lazarum, & luctum Sororum* gravissimum, ex *συναβλη* dicitur effudisse.

12. *Luctui* conjungitur *Sepultura*, quam itidem debemus *beate defunctis*. *Mortui* qui sunt, *sui rationem, & curam* neutiquam ipsimet amplius habere possunt: illi proinde, qui *superstites* sunt, & *vinculo quodam mortuos* attingunt, eorum *communiter curam* suscipiunt. *Prolixe* quidem hoc iterum ex *jure divino, ex lege natura, ex jure gentium*, nim. secundum *reeram rationem* suas res gerentium, ex *jure civili populorum, ex jure Ecclesiastico, &c:* deducere possemus, sed in *Compendio* modo versamur.

13. *Sepultura mortuorum*, quoad *Causam efficientem, Deum* ipsum respicere videtur, (a) quoad *manifestum statutum, Gen. III. 19. Pulvis es, & in pulverem* (nim. per sepulturam) *reverteris*: quæ *verba non nude sunt assertiva, neq; tantum indicativa, sed vere pariter imperativa. Respicitur ad originem (Hominis) voce PULVIS ES*, scribit *B. Dn D. Calovius* ad h. l. in *Comm. Gen. p. 431. ob quam etiam terra Mater omnium dicitur, in quam revertimur per SEPULTURAM, Eccles. XL. 1.* (b) quoad *manifestum indicium*, quia *verbis antecedentibus DEUS* indicat, nihil aliud esse *vitam mortalem atque caducam, nisi maledictionis gymnasium, molestiarum mancipium, laboris & doloris, vel laboriosi doloris, &*

ESCHATOLOGIA.

dolorosi laboris ergastulum, quietis, & sepultura desiderium, quando dicit: *Maledicta terra in opere tuo in laboribus, vel cum molestia comedes ex ea cunctis diebus vite tue. spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es.* (c) quoad manifestum suffragium: nam sepeliendi mos & temporibus Patriarcharum antediluvianorum, & post diluvianorum fuit in usu, & ab his ad populum Israeliticum translatus, nec unquam fuit improbatum, sed cæteris paribus semper approbatus. (d) quoad manifestum exemplum, quia Deus ipse factus sepulchritæ, Mosensq; sepelivit. Deut. XXXIV 6 adeoq; sic exemplo suo ritum hunc confirmavit: *Exemplum DEI videtur Mandatum DEI.* (e) quoad manifestum usum, quia Deus ipse, vel DEI Filius sepeliri voluit, quod ex *Matth. XXVII. Marc. XVI. Luc. XXIII. Job. XIX.* & quidem secundum scripturas *I. Cor. XV. 4. Christus Caput nostrum est Eph. I. 22. Caput ad membra respectum habet.* Quia Caput in plenitudine temporis sepeliri voluit, quodlibet ejus membrum ordinarie sepeliri debuit. *Causæ Ministeriales* sunt Curatores funerum, quemadmodum Abraham sepelivit Saram Gen. XXIII. Isaac, & Ismael curam Abrahami funeris susceperunt c. XXV. 8. Jacob & Esau funus Isaaci curarunt c. XXXV. 9. Joseph Patris Jacobi sepulcrum magnificam instituit c. L. 2. seq. *Causa Materialis* est solum corpus humanum, cum anima sit Spiritus, nec sepeliri possit, cum primis quia per mortem à corpore separata. *Forma sepulture* consistit in sepeliendi modo, qui varius, juxta diversos ritus populorum, quos modo tangere nolumus. Apud Patriarchas, & simplicissima, & splendidissima sepeliendi ratio fuit in usu: illa communiter, hæc singulariter adhibebatur, sicut notum est, ex pomposa Jacobi funeratione, quæ Genes. L. à Josepho Filio, Pro Rege Ægypti, fuit instituta. *Causa finalis* etiam non fuit Patriarchis incognita, siquidem illi mortuos suos sepelierunt (1) non ex causa religionis, quia religionis objectum Deus est, non homo vivus, nedum mortuus. (2) neq; causa superstitionis, quod superstitiose corpora sanctorum sint more Papistarum, & gentiliū, honoranda. (3) neq; causa peregrinationis, quasi peregrinationes ad loca, vel sepulchra sanctorum

COMPENDII MOSAICI

defunctorum instituere debeamus. (4) neq; *causa utilitatis*, quafi velimus per *sepulturam defunctorū* vel *utilitatem*, vel *felicitem* promovere. (5) sed potius *pietatis*, *charitatis* & *honestatis* causa, ut pietatem erga Deum, cuius creaturas, imo membra, propter peccatū deficientia, sic curamus, religiose contestemur: *charitatē* etiam erga *mortuos*, vita, viribus, consiliis, & subsidiis destitutos constanter operemur, & in eo studium *honestatis* sectemur, & regularum juris naturæ recordemur: *Quod Tibi vis fieri, feceris & alteri, suum cuiq; tribuendum* &c.

14. A corpore *Mortuorum*, ejusq; cura, nunc progredimur ad *Animas Defunctorum*, & earum tum *statum communem*, quo ad *Immortalitatem*, tum *proprium*, quo ad *separatam conditionem*, consideramus. Quod *animam immortalem* statuerint *Patriarchæ*, *Moses*, *Propheta*, cum aliis fidelibus, & *Doctoribus*, & *Auditoribus*, in confesso positum est. Ipse *Christus* contra *Sadducæos*, immortalitatem animarum inficientes, non aliunde, quam ex *Mose*, veritatem immortalitatis demonstrare voluit *Matt. XXII. 29. Erratis, nescientes scripturas, neq; virtutem DEI: in resurrectione enim neq; nubent, neq; nubentur, sed sunt sicut angeli DEI in cælo: De resurrectione Mortuorum (vel animarum immortalitate) non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Non est Deus Mortuorum, sed VIVENTIUM: Abraham autem, Isaac, & Jacob, non vivebant ratione corporum, quæ sepulta fuerant, & corruptionem viderant, sed respectu animarum, quæ verè dicebantur, & erant immortales. Eandem animarum immortalitatem Israelitæ, tum ex anime rationalis creatione *Gen. II. 7.* tum ex corporis in pulverem reversione, *Gen. III. 19.* tum ex anime conditione, tum ex solius corporis derelictione, tum ex corporis solius sepelitione, tum ex futura resurrectione, tum ex *Enochi translatione*, tum ex aliis fundamentis, solidè cognoverunt, & firmissime crediderunt. Imò noster *Eloheu* pariter eò nos deducit, quia, teste *Christo*, Deus non est mortuorum, sed VIVENTIUM *Deus Matth. XXII. 32.**

15. Digredimur mox ad *Statum Animarum post mortem*, qui vel est *generalis*, nim. *bonis*, & *malis communis*, non equidem (a)
nati.

ESCHATOLOGIA.

naturalis immansiois, quasi post mortem *animæ* permaneant in *corporibus*, etiamsi non amplius illa vivificent, vel opera vitalia per eadem præstent. (b) neq; *localis cum corporibus permansiois*, quasi vid. anima cum corpore suo permaneat, licet non amplius illud informet: talis enim *animarum cum corpore permansio* nullum in scriptura fundamentum habet. (c) neq; *realis ad alia corpora vel hominum, vel brutorum, transmigratiois*, quæ *μετεμψύχως*, Pythagoræ, vel aliorum *Veterum*, jamdudum explosa fuit. (d) neq; *mundana circumvagatiois*, quasi demortuorum animæ hinc inde in mundo, tanquam exules, circumvagantur. (e) neq; *communis in loco quodam commorationis*, sicut *Pareus* hanc sententiam *Luthero* citra suffragium veritatis *Comm. in Gen. 42.* tribuit. (f) sed potius est *veræ separationis*, qua de causa communiter *Anima separata* nuncupatur, quam *separationem* in ipsa morte *fideles Israelitæ* viderunt, & certo crediderunt.

16. Vel *specialis*, tum respectu *piorum*, vel *Electorum*, qua ratione *Vir sapiens Eccl. XII. 7.* commentationem planiorem ad *Senatus consultum divinum Gen. III. 19.* *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, luculenter instituit, & fatum non modo *corporum*, sed etiam *animarum* exponit: quod *revertatur pulvis in terram, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hoc certe *Patriarchis* non fuit incognitum, qui cum gaudio *beatam analysin* per mortem & exoptarunt, & expectarunt, adeoq; *felicitatem animarum* post mortem suis inculcarunt, idq; tum ex *Enochi translatione Gen. V. 24.* tum ex *Abelis post mortem vociferatione c. IV. 10.* qui vere *fidelis* fuit *Heb. XI. 3.* tum ex *pacis futurae promissione*, quia *pax vera, pax mera, pax salutifera*, *Patriarchis* post mortem promissa *Gen. XV. 15.* Tu, dicit *Abrahamo* *Jehova* (per mortem.) *ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona: Sepultus* nim. est *Abram*, quoad corpus ex senectute fractum, & mortuum. *Conf. Eccl. XII. 5. 6. 7.* sed quoad *animam fidelem* *ibis ad Patres suos in pace*, cum sepultum corpus nusquam ire poterit. Sic igitur ex *laborum & dolorum* ergastulo *Patriarcha*, quoad *animam*, ad *veram requiem*, ad *veram pacis regnum* pervenit, sicut vulgati versiculi sonant:

Quid

COMPENDII MOSAICI

Quid mundus? Cathedra est pestis, Nox, sordidus orcus.

Quid Mors? Pax, Requies, Lux, Medicina, Salus.

Conf. Jacobi exemplum Gen XLIX. 18. tum ex grata ad populum suum congregatione Gen. XXV. XXXV. XLIX. tum ex mortis justorum exoptatione: cum enim juxta naturam, & rationem rectam, Mors sit omnium terribilium terribilissimum, mortem justorum esse vite januam, quietis aulam, pacis gloriam &c. ex divina revelatione cognoverunt, non intra saltē, sed extra pariter Ecclesiam, hinc exclamat Bileam Num. XXIII. 10. *Moriatur anima mea morte justorum: & fiant novissima mea horum similia.* Sunt piorum anima cum Deo, sunt apud Deum, sunt in Deo, sunt circa Deum, &c.

17. Tum respectu impiorum, vel damnatorum, quia ratione damnatorum anime detruduntur in infernum, quod dogma fidei vel Mosaica, vel Israelitica, pariter extitit, quod patet, tum ex Serpentis maledictione Gen. III. 14. Maledictionis supplicium requirit maledictionis gymnasium: tum ex maledictionis ad hominem translatione v. 17. quæ per se finaliter infernū respicit; tum ex corporis, & anime collatione, quia corpus peccaminosum suo modo post mortem statim pulveri destinatur Gen. III. 19. certum est, quod anima, quatenus peccaminosa manet, & in ira DEI versatur, loco tormentorum destinatur; tum ex Caini desperatione c. IV. 14. quæ citra dubium ad π g desperationum respicit; tum ex mimulosa vivorum ad infernum detrusione, quia coram omni populo Corab, Dathan, & Abiron, vivi dicuntur in infernum descendisse, Num. XVI. 33. & ut Deus manifestaret, quam pœnam ibidem experturi sint, statim ignis egressus est à Domino, & interfecit ducentos quinquaginta Viros, qui offerebant incensum v. 35. Si proinde vivi descenderunt in infernum, & hoc optimè tunc Israelita cognoverunt, sequitur etiam, quod tunc publica doctrina fuerit, quod anime defunctorum impiorū in infernum descendant, & ibidem ad judicii diem usq; concludantur: tum quia divini furoris ignis inferno tunc tribuebatur Deut. XXXIII. 22. *Ignis in furore meo succensus est, & ardebit usq; ad inferni nominisima.* Hæc & alia multa nostrum institutum confirmant.

18. Hæc

ESCHATOLOGIA.

18. Hæc fuerunt *Successiva Novissima*, quæ cunctis hominibus ab initio contigerunt, & fidelibus *Israelitis* satis perspecta fuerunt: nunc ad *Simultanea* nobis progrediendum, & de iis pauciter dispiciendum, num eorum quoque *notitia* quondam in *Patriarcharum*, & *Israelitarum scholis* floruerit. Ex sequentibus apparebit, quod rectius considerantibus nullum de iis dubium suboriri possit; aliis verò rectius non edoctis si forsitan suboriantur, quod illud facile, juxta scripturas Mosaicæ, dissolvi possit. *Empæctas contumaces* hic audire non solemus, nec debemus.

19. Accedimus igitur ad *Messie Salvatoris Adventum* *judicialem*, in quo *Messias* rediturus est ad resuscitandos mortuos, & ad *judicandum omnes homines*. De hoc *Adventu* *judiciali* plurima notare possemus, sicut patet, tum *ex judicio paradisiaco primo*, ubi rigorosum *Examen* cum *Protoplastis* lapsis *Jehova Elohim* instituit, idque citra dubium per *Oratorem SS. Trinitatis*, quæ λόγος est, *Iob. I. 14.* per *Interpretem paternæ voluntatis* *Iob. I. 18.* per *judicem universalem totius humani generis* *Heb. IX. 27.* Tum *ex judicio Universali diluviano*, quod non una ratione refertur ad *Messiam*: tum *ex judicio severissimo Sodomitico* *Gen. XIX.* quod tum *c. XII.* tum *c. XIX.* non ad alium, quam ad *Messiam*, quoad *executionem* refertur: Hinc etiam *Abrahamus* ipsum, tanquam *judicem universæ terræ* nominatim alloquitur, *c. XII. 25.* Si proinde juxta *manuductionem Mosaicam* argumenta cumulare vellemus, citra difficultatem hoc fieri posset. Jam saltem clarissimum *Henochi* vaticinium adducimus, quod equidem in *Historia Patriarchæ* hujus neutiquam, vel *didactice*, vel *historice*, fuit annotatum, interim tamen in *N. T.* non modo per *Spiritum DEI* revelatum, sed etiam per *Apostolum Judam* consignatum *v. 14.* verbis seqq. *Prophetavimus autem, & de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij; Certe satis clarum, satisque perfectum hoc de Domini Messie ad judicium Adventu testimonium, quod citra dubium*

C

neq;

COMPENDII MOSAICI

neq; fuit *Enocho proprium*, neq; fuit *ipfi privatum*, sed potius pertinuit ad commune *Patriarcharum*, & *Patriarchalium Ecclesiarum Symbolum*, & ad *publicum doctrinae caelestis de Novissimis praconium*.

20. Hoc Apostolus emphaticis verbis ostendit, tum quoad *emphaticum apparatus*, tum quoad *emphaticum vaticinij Statum*. Quoad *emphaticum apparatus* dicit: *Prophe-tavit autem de his Septimus ab Adam, Enoch, dicens*: quibus exponit *capita generalia* describendo *ministerialem Autorem* hujus vaticinij, (1) *ratione nominis*, quod appellatus sit *Enoch*, DEO initiatus, & consecratus. (2) *Ratione generis*, quod sit *ab Adamo*, verus *Homo*, verus *Patriarcha*, (3) *Ratione ordinis*, quod sit *Septimus ab Adamo*, in quo septenario numero, non pauca singularia notari possent. (4) *Ratione muneris*, quod fuerit *Propheta*, vel *prophético spiritu plenus*. (5) *Ratione operis*, quod *actu suo tempore prophetarit*. (6) *Ratione finis*, quod sua prophetia *de his scil. novissimis*, & imprimis de *novissimo*, vel *judiciali Salvatoris Adventu*, notabilissima verba proposuerit. (7) *Ratione medij*, quod prophetiam hanc non *scripserit*, sicut nonnulli volunt, sed potius *dixerit*. Et *dicendo* suis auditoribus *Domini judicialem Adventum* proposuerit, & ita *praedicaverit*, ut ad omnem posteritatem propagata sit, sicut & *Spiritus Sanctus per Judam* hoc vaticinium in fidei confirmationem, cordium nostrorum confortationem, & ob alios fines, *figurare voluit*.

21. Quod concernit *emphaticum statum*, hic occurrunt, uti *emphaticum exordium* in particula *Ecce*, quae debet hic & *docilitatis*, & *attentionis*, & *benevolentiae* rationem habere, sicut hoc prolixè declarari posset: tum *emphaticum eloquium de Adventu Domini judiciali*, qua ratione describit (1) *Causam Efficientem principalem*, nim. *Dominum*, ut *Job* non tam *absolute talem*, qui *Jehova, Deus unus*, quoad *essentiam*, quam *relate talem*, qui speciali ratione toti humano generi datus est in *Dominum*, ad *redimendum*, vel *liberandum*, ut contereret caput serpentis *Gen. III, 15*. ad *gubernandum*, nim. per *Spiritum suum*

ESCHATOLOGIA.

suum in vera *penitentia*, vel etiam ad *sanctificandū* per *Spiritum* suum *Gen. IV. 3.* & demum ad *judicandam*, ut universam terram postremo judicet *c. XII. 25.* Hic autem est *Messias*, *ater-nus DEI Filius.* (2) *Causam Ministerialem*, quod venturus sit in *sanctis millibus*, vel etiam *myriadibus suis*, *ἐν ἀγίοις μυρ. & σὺν αἰρέτῃ*, nim. tum *Sanctorum Angelorum*, tum etiam *sanctorum Electorum*, qui tanquam *Comites*, *Satellites*, *Tubicines*, *Testes*, *Assessores* &c: affuturi sint, & tanquam *Ministri* cum *Domino* suo venturi. (3) *Causam formalem*, quod *veniat*, *ἦλθε*, in *aoristo* tempore, quia nec *ratione scripturae*, nec *ratione notitiae nostrae*, nec *ratione fidei Christiana* &c: Tempus *judicialis adventus* definitum est, adeoq; semper nobis est, & verè manet *ἀόριστον*, vel *indefinitum*: propter *certitudinem* summam redditur hic in *presente*, cum *judicialis Adventus* nobis semper debeat esse *presens*, tum in *contemplatione*, ne vid. unquam eum ex mentis oculis dimittamus: tum in *meditatione*, quia praeter alia novissima quoq; *judicalem adventum* semper meditari debemus, ut peccata fugiamus *Sirac. VII. ult.* tum in *recordatione*, quia firmiter eum *memoriae* semper *inscribere* debemus. Veniet autem in *gloria Patris*. in *Majestate magna*, *Matt. XXIV. XXV. Luc. XXI. I. Thes. IV.* adeoq; *gloriosus*, & *majestaticus* fuit *Patriarchis* hic *adventus*. (4) *Causam finalem*, quia non ob aliam causam *veniet*, quam *πρὸς κρίσιν*, ut *faciat iudicium*, non *equidem particulare*, sed *universale*, non *temporarium*, sed *aternum duraturum*, non *subordinatum*, sed *ultimatum*, adeoq; de *κρίσει καὶ ἐξοχῆν* tali prophetavit *Enoch*, & simul totum *processum iudicalem* insinuavit. (5) *Causam Materialem*, nim. *contra omnes faciet iudicium*, & *arguet impios*, de *omnibus operibus impietatis eorum*, quibus *impie egerunt*, & de *omnibus duris*, quae *locuti sunt contra eum peccatores impii* &c: quibus & *objectum personale* notat *Enoch*, & *reale: personale* describit, tum *ratione quidditatis*, non *absolutae*, sed *relatae*, quae de causa vocat eos *peccatores*, *ἀμαρτωλοὶ*, quasi totum eorum esse consistat in peccato: tum *ratione qualitatatis*, quod non sint *communes peccatores*, cum omnes homines sint *peccatores*, *Rom. III. 20.* Sed *singulares*, & *notabiles peccatores*, hinc bis



COMPENDII MOSAICI

eos ἀσεβείς vocat, & ipsam ἀσεβείαν iis in abstracto peculiariter appropriat: tum ratione *quantitatis*, quod in universum omnes tales præfractos, & contumaces peccatores sit iudicaturus. *Objectum reale* quoque non negligit, sed in *opere, verba, & desideria impietatis* eadem distribuit, nix. quod iudicaturus sit omnes impios. (1) *de omnibus operibus impietatis*, quibus impie egerunt: (2) *de omnibus duris verbis*, quæ locuti sunt in vita sua contra Dominum. (3) *de omnibus cordis cogitationibus, & desideriis internis* v. 16. &c:

22. Post *Adventum judiciale* sequitur in *Eschatologia Doctrina de Resurrectione Mortuorum*, quæ pariter in *Elobenu* fundata, neque temporibus vel *Patriarcharum*, vel *Israelitarum*, aut tempore *Mosis* fuit ignorata, sicut illustrissimum ejus rei Christus ipse monstravit documentum *Matt. XXII. 23.* cum *Sadducei*, negantes *resurrectionem mortuorum* ad ipsum accederent, & plausibili prætextu quodam, ad *oppugnationem resurrectionis mulierem*, quæ septem viros habuerat, objicerent: Christus verò v. 29. respondet: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem ejus: In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt, sicut Angeli DEI, in celo.* De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à DEO, dicente vobis: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Conf. *Marc. XII. 26. 27.* Ubi Christus etiam statim his verbis *Elenciticis*, & contra *Sadduceos Resurrectionem Mortuorum* evincuntibus, nostrum *Oraculum* v. 29. subjungit: *Audi Israel: Dominus, Deus noster, Dominus unus est.* Sic etiam apud *Luc. XX. 38.* clariorem ἐξήγησεν addit: *Deus non est mortuorum, sed viventium: OMNES enim VIVUNT EI.* Sic eadem *Resurrectio Mortuorum* ex innumeris aliis documentis comprobari posset, si necessitas id postularet, qualia sunt (1) *Immortalitatis anime conditio*, quæ requirit ex inclinatione naturali corpus socium. (2) *Eve denominatio*, quia vocatur *Mater omnium viventium.* *Gen. III. 20.* (3) *Sevem DEI maledictio* v. 17. quæ durationem æternam importat, nisi remedium aliquod accedat: ad æternam verò penam mortuorum *resuscitatio* necessaria. (4) *Sanguinis Habelis vociferatio* c. IV. 10. (5) *Nominum Patriarchalium*
confi-

ESCHATOLOGIA.

consideratio. (6) Historica, & plena consolationis Mortuorum recitatio c. V. 5. seqq. (7) Henochi translatio v. 24. (8) Emphatica Mortis descriptio, quod sit beata ad Patres migratio c. XV. 15. (9) Pacis post mortem promissio ibid. (10) Spe plena mortuorum sepelitio Gen. XXIII. 4. seqq. & passim alibi. (11) Notabilis per, & post mortem congregatio, quia Patriarchae dicuntur per Mortem ad populum suum congregati c. XXV. 8. sicut de Abrahamo id legitur: Ismael quoque dicitur appositus ad populum suum v. 17. Isaac appositus populo suo c. XXXV. 29. Conf. Gen. XLIX. 33. &c.

23. Resurrectioni Mortuorum alias affinis est *Immutatio Viventium*, quos dies novissimus vel etiam *Judex* ad gloriosum iudicium comparens, vivos deprehendet, quae pariter maximum includit *mysterium*, sicut Paulus scribit I. Cor. XV. 51. *Ecce Mysterium vobis dico: non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen immutabimur. Confer. I. Thes. IV. 15. 16. 17.* Haec autem *immutatio* non erit *mortis illatio*, nec *anima à corpore separatio*, sed potius *subitanea commutatio hominis animalis in spiritualem, terrestris in caelestem, corruptibilis in incorruptibilem, ignominiosam in gloriosam, peccaminosam in purificatam, & ad vitam aeternam transformatum.* *Immutationem* autem illam etiam perspexerunt in admirando *Henochi exemplo.* *Notanda*, scribit B. Luth. ad h. l. Gen. V. *ista verba sunt, & diligenter insigenda animis, quod Henoch RAPTUS, & acceptus est, non à Patriarcha aliquo, non ab Angelo, sed ab ipso DEO.* Haec enim est illa *consolatio*, quae sanctis Patriarchis tolerabilem mortem fecit, ut etiam cum gaudio ex hac vita emigrarent. *Viderunt enim Semen sibi provissum jam tunc, antequam esset exhibitum, belligerari cum Satana, & contrivisse ejus caput in Henoch.* Idem de se, & de omni *credentium posteritate speraverunt, ac Mortem securissime contemserunt, tanquam quae non esset Mors, sed somnus quidam, ex quo evigilaturi essent ad aeternam vitam.* *Credentibus enim Mors non est Mors, sed somnus quidam. Nam cum terror, stimulus, & vis illa mortis abest, non potest dici mors. Quanto igitur major fides est, tanto mors est imbecillior. Quanto autem fides minor est, tanto*



COMPENDII MOSAICI

mors est acerbior. Uno verbo: Caro & Sanguis non possunt regnum Dei possidere, neq; corruptio incorruptelam possidebit I. Cor. XV. 50. Henoch autem erat caro de carne natus Job. III. 6. Septimus ab Adamo Jud. v. 14. necessaria proinde fuit talis immutatio, cum in caelum è terris promoveretur.

20. Accedimus jam ad *judicium novissimum*, quia propterea *Messias* excitabit mortuos, ut *universale judicium* instituire queat. Quod enim ejusmodi *judicium universale* cognitum, & creditum sit à Patriarchis, apparet, (1) *ex judicio Protoplastorum primo*, quia statim post lapsum *judicium à Deo* fuit institutum, idq; primum: jam primum respicit novissimum, sicut novissimum respicit primum. (2) *ex judicio Protoplastorum Catholico*, quia Protoplasti, cum omnibus suis posteris, hujus universalis *judicii* fuerunt objectum, adeoq; revera fuit *Catholicum*, si non *actu*, quoad omnes homines, tamen *potestate*, eaq; *relativa*, quæ respiceret *actum judiciale* aliquando de *cunctis posteris*, actu *praesentibus*. (3) *Ex immutabili judicis privilegio*, nam *judex* hic *privilegium immutabilitatis* habet: *Creaturae* mutantur, ipse *Creator Deus* non mutatur. *Malach. III. 6.* adeoq; sicut in *paradiso* peccatores omnes existentes ad *judicium* vocavit, sic etiam non potest aliquando non omnes peccatores ad *judicium commune* citare. (4) *Ex ipso judicis supposito*; *judicium* hoc equidem tribuitur *Jehova Elohim*, sed in *Oratore*, seu *λόγῳ*, tum temporis conspicuo, vel auribus obvio. (5) *Ex communi Messiae Titulo*, quia *Patriarcha Abraham Gen. XII. 25.* disertis verbis *Messiam*, *Angelum Increatum*, *Magnam Jehovah Legatum*, appellat *judicem universae carnis*, non ex *singulari revelatione*, sed in *familiari conversatione*, vel *collocutione*, nec ex *peculiari cognitione*, sed ex *communi confessione*, *predicatione*, *testificatione* &c:

25. Cognoverunt autem *Patriarchae* de *judicio extremo*, (1) *Causam Efficientem*, nim. *Jehovam Elohim λόγῳ*, *Gen. III. 9.* *Messiam universae terrae judicem c. XII. 25.* (2) *Causam Materialem*, sic *judicabit peccatores*, nim. *Diabulos*, *serpentem* & *semen*, vel *societatem ejus Gen. III.* (3) *Normam judiciale*, *Verbum legis v. 10.* & *Evangelii v. 15.* (4) *Causam formalem*, quia *Jehova Filius*

ESCHATOLOGIA.

Deus visibiliter ad judicandū apparuit Protoplastis, Gen. III. 9. Antediluvianis c. VI. 3. seq. propter judicium Sodomitarum c. XIX. 1. seq. & processum judicialem per Examinationem, inquisitionem, & decisionem judicialem instituit. (5) Causam finalem, quod nim. judicium Catholicum propterea sit instituendum, ut in omnibus & misericordie, quoad penitentes & fideles, & justitia, quoad impenitentes, & incredulos, satisfiat. In his, & aliis plurimis, judicium novissimū prisci fideles cōtemplari potuerūt.

26. Judicium Novissimum sequetur *Seculi, vel totius mundi Consummatio*, quæ pariter nec caruit revelatione, neq; fidelium cognitione. Non autem opus est, ut cum *Criticis* confugiamus ad *litteras minusculas*, & ad *alias observationes*, & inde *Consummationem seculi* futuram doceamus, e. g. *בהכרתם* Gen. II. 4. Vid. *Jehova Elobim Creator Diss. V. th. 5.* Sed alia plura *revelata* prisci fideles & viderunt, & audiverunt, ex quibus futuram *Mundi Consummationem* & cognoverunt, & crediderunt, qualia sunt *Speculum Microcosmi* Gen. III. 19. c. V. 5. seq. *Speculum Diluvii* Gen. VII. II. X. *Speculum excidii Sodomitici* Gen. XIX. & c. cum primis etiam *Deus ipse* Gen. II. 22. *Consummationem seculi* prædixisse perhibetur: *Cunctis diebus terræ sementis, & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, nox & dies, non requiescent*: in quibus verbis & *Patres*, & alii *Doctores Mundi consummationem* observarunt. Nos modo solū *B. Luther. Comment. super h. l.* adducimus. *Nec ociosum est, scribit, quod dicit, Cunctis diebus terræ: subindicat enim hos terræ dies aliquando cessaturos, & secuturos alios dies cæli. Stantibus igitur terræ diebus, terra stabit, & manebunt istæ viæ temporum. Sed cessantibus his diebus terræ, cessabunt ista omnia, & sequentur dies cæli, hoc est æterni dies, qui erunt Sabbathum ex Sabbatho, ubi non occupabimur corporalibus laboribus ad parandum victum; erimus enim sicut Angeli DEI, sed nostra vita erit agnoscere Deum, delectari sapientia DEI, & frui presentia Dei. Consequimur autem eam vitam fide in Christum, in qua æternus Pater, per meritum Filii sui, & Liberatoris nostri Jesu Christi, regente & gubernante nos Spiritus. clementer conservet, Amen, Amen.*

27. *Doctrina de Inferno*, & vera per *Simen mulieris* promissum ab illius cruciatibus liberatione, pariter tum temporis & cognita fuit, & credita: cum primis autem ea de causa *Messias* vocatur *Elobenu, Noster Deus*, quod nos ab omni maledictione

finali



COMPENDII MOSAICI

finali, vel infernali redemerit, & omnem *benedictionem*, etiam *eternam*, nobis restituerit. *Infernū* igitur cognoverunt, & crediderunt (1) *ex revelatione divina*, quæ licet non sit annotata, tamē in Pentateucho, juxta communem fidem, & confessionem, sæpius inferni fit mentio. (2) *ex plenaria maledictionis officina* Gen. III. 14. (3) *Ex serpentis, & sociorum custodia*, cum *infernus* fit *tartarus*, & *Carcer*, in quo *Dæmones* conclusi detinentur II. Pet. II. 4. (4) *ex desperationis, & impietatis meta*, quæ luculenter ex *Historia Caini* deducitur. (5) *ex pnoletbrias Sodomitica historia*, quæ nihil aliud, quā illustre speculum inferni, cunctis exhibuit. (6) *Ex communi sententia*, quia communiter statuebant post hanc vitam mortuorum impiorum animas in infernum ad æternos cruciatus descendere, & ex hac communi doctrina dicitur, quod *Comb, Dathan, & Abiram*, non mortui, sed vivi descenderint in infernum. Num. XVI. 33.

28. Deniq; certum est, quod *Doctrina de Vita æterna Patriarchis, & Israelitis*, notissima fuerit ex *Elsbenu*, quia Deus noster est, vereq; dicitur *immutabilis*, adeoq; fideles, quia tales semper in eo manebunt, semper in eodem erunt. Cognoverunt autem *Vitam æternam* (1) *ex ipsius hominis creatione*, quia Deus non ad mortem, sed *ἐπι τὸ ὄψαρον*, ad *immortalitatem*, hominē condidit. (2) *Ex imaginis divinæ conditione* Gen. I. 26. 27. c. V. 1. quæ citra dubiū ad immortalitatem, & æternā vitam respicit. (3) *Ex immortalis anime proprietate*, quia *spiraculum est vitarum* Gen. II. 7. (4) *Ex capitis serpentini contritione*, quia, contrito *Capite serpentis*, contrita quoq; mors, quoniam mors est sub imperio *Diaboli* Heb. II. 14. dum igitur per Christum mors sublata, & *libertas* hæc fidelibus applicata, mors nihil potestatis in iis habuit, adeoq; fuerūt in hoc seculo, tum æternæ vitæ consecrati, tum æternæ vitæ candidati, tum post mortem ad æternā vitam translati. (5) *Ex mortis in vitam commutatione*, quia post lapsum, & Evangelium annunciatam, Eva dicta Mater nō morientium, sed viventium, Gen. III. 20. (6) *Ex æternæ miserie aversione* v. 22. ubi dicit Deus: *Nunc ergo, ne forte mittat (homo) manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat (in hac miserie vitæ) in æternum*. Consuluit igitur Deus homini, ne viveret miseram terrestrem vitam in æternū sed potius suo tempore per mortem ad æternam vitā transfiret. (7) *Ex æternæ pacis promissione* Gen. XV. 15. (8) *Ex Henochi translatione*, quæ *Trino Elobim* tribuitur Gen. V. 22. seqq. & c.

85852

ULB Halle
005 363 56X


3



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



15

N. J.

DIOLOGIAM THEOLOGICAM,

Part. VI. 4.

Leucorea

in Theologici indultu
RESIDE

PREBENDATO, MAGNIFICO,
EXCELLENTISSIMO

Deutschmann

Virgo longè Celeber-

lissimo, Alumnorum Elect.
Gravissimo,

inmate studiorum suorum Pro-
fugii observantia cultu ad
venerando, colendo.

Adra Lutheri

confendet

W. Dünnehaupt / Quedlimb.

Mag. & Alumn. Electoralis.

Julii Anno 1686.

BERGÆ,

JANNES WILCKIUS.

